

est quod praecise ratione suae excellentiae, potentiae et operationis habet, ut ab omnibus colatur et adoretur. Ex quibus duobus juribus primum videtur rigurosius et inducere quamdam majorem rationem debiti. Igitur juxta has duas considerationes divini juris, videtur satis probabile distingui duo genera virtutum, unum religionis, quod reddit Deo debitum ratione excellentiae suae; aliud, quod illaesum servat jus divinum in tota latitudine dominii, et jurisdictionis ejus, quod dici potest esse ejusdem strictioris justitiae ad quam pertinet poenitentia (1).

Obj. 7.^o Virtus moralis servat medium inter superfluum et diminutum; sed religio non servat tale medium, cum nemo possit superflue colere Deum: ergo non est virtus moralis.

Resp. Neg. *Min.* Ejus prob. dist. Nemo potest superflue colere Deum, quoad circumstantiam *quanti*, conc. Quoad alias circumstantias, v. g. exhibendo cultum divinum, cui non est tribuendum, vel modo et tempore indebitis ut in cultu superstitioso; neg.

THESIS XXX.

Devotio est actus religionis, qui adjuvante divina gratia meditatione causatur.

171. Nota. 1. Devotio est juxta D. Thomam (2): «Voluntas »quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum.» Pro ejus intelligentia nota: duplicem esse promptitudinem, unam deliberationis, quae consistit in electione rei seu determinatione libera ad actum; aliam habitus, quae provenit, tum ex habitu quatenus inducit positivam inclinationem ad actus, tum ex defectu impedimentorum. Similiter circa divinum obsequium duplex est actus. Unus generalis ex parte materiae licet in se et in suo esse particularis sit, et hujusmodi est voluntas deliberata, qua quis se offert et tradit omnino in divinum obsequium. Alius vero esse potest affectus particularis, vel ad orandum voce, vel ad meditandum, vel ad assistendum sacrificio, vel ad alia similia opera. Hinc jam perspicies actum proprium devotionis esse affectum generalem seu intentionem divini obsequii, ex quo sequitur *effective* promptitudo ad divina, quare illud *prompte* definitionis debet sumi in primo sensu non in secundo, cum in hoc non sit nota differentialis actus devotionis, qui potest haberi cum difficultate, ut patet in primo conversis.

II. Devotio est substantialis et accidentalis. Substantialis est ea, quam modo definivimus; accidentalis est interna animi suavitas

(1) V. Suar. De relig. L. 3, c. 7.—(2) 2, 2, Q. 82, a. 1.

quae subinde percipitur in exercitio cultus divini (1). Tres gradus distinguit Suarius in actu devotionis, nempe: velle, velle prompte i. e. faciliter, velle suaviter cum gustu. Cum ergo D. Thomas (2) videtur tribuere devotioni solum velle prompte, loquitur de actu generali, quo homo se Deo devovet, respectu particularium ut velle orare, sacrificare, etc., nam hi actus comparantur ad generalem tamquam media ad intentionem efficacem.

172. I.^a Pars. Est actus religionis. Prob. verbis et ratione D. Thomae (3): 1.^o «Devotio a devovendo dicitur, ut »dictum est. Sed votum est actus religionis. Ergo et devotio.»

2.^o «Ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, et promptam voluntatem habere ad illud faciendum; quia utriusque actus est idem objectum... Manifestum est autem quod operari ea »quae pertinent ad divinum cultum, seu famulatum, pertinet proprie ad religionem, ut ex praedictis patet. Unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad hujusmodi exequenda, »quod est esse devotum. Et sic patet quod devotio est actus religionis.»

173. II.^a Pars. Adjuvante divinâ gratiâ meditatione causatur i. e. consideratione et contemplatione Dei ejusque creaturarum in ordine ad ipsum Deum colendum et obsequendum; *adjuvante divina gratia*, quia nihil salutare operari valemus, si gratia opera nostra non praeveniat et comitetur. Prob. etiam cum D. Thoma (4): 1.^o «In Psalmo (5) dicitur: *In meditatione mea »exardescet ignis.* Sed ignis spiritualis causat devotionem. Ergo »meditatio est devotionis causa.»

2.^o «Devotio est quidam voluntatis actus ad hoc quod homo »prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis... Et ideo necesse est quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit quod se tradat divino obsequio.»

3.^o Meditatio excitat dilectionem Dei et excludit praesumptionem, quarum illa movet ad devotionem, haec impedit. Ergo meditatio, etc. *Antec.* prob. D. Thomas (l. c.). Ad se tradendum divino obsequio «inducit duplex consideratio: una quidem quae est »ex parte divinae bonitatis et beneficiorum ipsius, secundum illud »Ps. (6). *Mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem*

(1) D. Thomas 2, 2, Q. 82, a. 4.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 82, a. 2, Lege Suar. tract. de Relig. L. 2, cc. 6, 7, 8.—(3) 2, 2, Q. 82, a. 2.—(4) Ibid. a. 3.—(5) XXXVIII, 4. Probat accommodationem quadam, nam ad litteram est sermo de igne irae exardescente eorum modorum recogitatione, quibus David ab inimicis suis indigne acceptus maleque vexatus fuerat.—(6) LXXII, 28.

»*meam*; et haec consideratio excitat dilectionem, quae est proxima devotionis causa. Alia vero est ex parte hominis considerantis suos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, secundum illud Ps. (1). *Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi: auxilium meum a Domino qui fecit caelum et terram*; et haec consideratio excludit praesumptionem, per quam aliquis impeditur ne Deo se subjiciat, dum suae virtuti innititur.»

174. Obj. 1.^o Devotio est actus, quo se homo divino servitio tradit. Sed hoc per charitatem praecipue obtinetur. Ergo devotio potius charitatis quam religionis est actus.

Resp. Dist. *Maj.* Quo se divino servitio tradit per unionem cum Deo, quam intendit charitas; neg. Per voluntatem generalem se tradendi in divinum obsequium: conc. «Quod homo, ait Angelicus (2), tradat se ipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad charitatem, quae est religionis principium.» *Min.* contradist. et neg. *conseq.*

Obj. 2.^o Si meditatio causaret devotionem «ea, quae sunt altioris contemplationis magis devotionem excitarent.» Sed frequenter «major devotio excitatur ex consideratione passionis Christi et ex aliis mysteriis humanitatis ipsius, quam ex consideratione divinae magnitudinis. Ergo contemplatio non est propria devotionis causa.»

Resp. «Quod ea quae sunt Divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus; sed ex debilitate mentis humanae est quod sicut indiget manu ductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota; inter quae praecipuum est humanitas Christi, secundum quod in Praefatione dicitur: «Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur.» Et ideo ea quae pertinent ad Christi humanitatem, per modum cujusdam manu ductionis, maxime devotionem excitant; cum tamen devotio principaliter circa ea quae sunt Divinitatis consistat (3).»

THESIS XXXI.

Oratio: a) est homini convenientissima: b) ad salutem necessaria, c) et est actus religionis: d) elicitus quoad affectum petendi, proxime imperatus quoad petitionem.

175. Nota. I. Orationis vocabulum aliter Latini et rhetores, ali-

(1) CXX, 1.—(2) 2, 2, Q. 82, a. 2, ad 1.—(3) 2, 2, Q. 82, a. 3, ad 2.

ter Scripturae sanctae accipiunt, ut notavit S. Hieronymus (1): «Oratio juxta grammaticos omnis sermo loquentium est, cujus etymologiam sic explicant: oratio est oris ratio. In Scripturis autem sanctis difficile orationem juxta hunc sensum legimus, sed quo ad preces et obsecrationes pertinet.» Jam in auctoribus ecclesiasticis et Scripturis, vox *oratio* tripliciter potest sumi communissime, communiter et proprie. Oratio communissime sumpta significare dicitur omnem bonam operationem, juxta illud Pauli (2): *Sine intermissione orate*. Est acceptio impropria, sensus enim proprius verborum sacrae Scripturae est *frequenter*, i. e. *semper* sed *non pro semper* juxta opportunitatem, unde merito ait Suarius, hanc acceptionem abjiciendam esse, quia neque ad explicandam Scripturam deservit, neque invenitur usitata in antiquis Patribus (3). Communiter sumpta significat omnem interiorum motum animi in Deum, sive per ejus cognitionem, sive per affectum ad honorem, cultum vel laudem Dei ut Damascenus videtur dicere (4): «Oratio est ascensio mentis in Deum.» Proprie, ut explicat D. Thomas (5), est petitio seu actus, quo quis sine imperio, i. e. ex sua parte obligationem non imponens, inducit et disponit aliquem, ad aliud praestandum quod dicitur petere. Sic Augustinus (6): «Ordo est aedificationis vestrae ut discatis prius (symbolum) quid credatis et postea (orat. dominicam), quid petatis.» Sic Damascenus (7): «Oratio est petitio decentium a Deo.» Suarez sequens D. Thomam definit esse: «Petitionem Deo convenienter oblatam.» Quia vero oratio non est conveniens nisi decentia petantur probat definitionem S. Damasceni cum Angelico, qui ait (8): «Unde definitio Damasceni, oratio est petitio decentium a Deo, verissime essentiam orationis declarat.» Oratio sic sumpta dividitur in mentalem et vocalem. Mentalis est petitio solo interiori actu mentis Deo convenienter oblata. Vocalis petitio a Deo corde et ore facta.

II. Thesis habet quatuor partes; in prima dicimus orationem esse homini convenientissimam contra varios haereticos qui eam negarunt triplici errore: «Quidam enim posuerunt quod res humanae non reguntur divina providentiâ, ex quo sequitur quod vanum sit orare et omnino Deum colere... Secunda fuit opinio ponentium omnia in rebus humanis ex necessitate contingere, sive ex immutabilitate divinae providentiae, (quae tamen non necessario inducit inutilitatem orationis, quia potuisset Deus per orationem aliqua immutabiliter facere), sive ex necessitate stellarum, sive ex

(1) Epist. 139.—(2) Thessalon. V, 17.—(3) De orat. L. 1, c. 1, n. 5.—(4) De Fide. L. 3, c. 24.—(5) 2, 2, Q. 83, a. 1.—(6) Ser. de Scriptur. ser. 57.—(7) De Fide. L. 3, c. 24.—(8) 4. D. 5, Q. 4, a. 1, gla. 1.

«connexionem causarum.» Tertia eorum, qui dicebant «dispositionem» divinae providentiae variabilem esse et quod orationibus et aliis, «quae ad divinum cultum pertinent, dispositio divinae providentiae immutatur (1).» Quarta Wiclefi qui ex eo quod dicitur apud Matthaeum (2) *Scit, Pater vester, quia his omnibus indigetis*, inutilem orationem pronuntiabat. In secunda parte dicimus orationem esse ad salutem necessariam, quin dicamus solam contra Messalianos, Euchitas dictos, qui volebant orationem solam ad salutem sufficere, ita ut nec Baptismi nec Eucharistiae necessitatem agnoscerent (3). Sed simpliciter necessariam contra Pelagianos docentes, implicite saltem, orationem non esse necessariam ad salutem, eo quod affirmarent gratiam divinam non esse necessariam et hominem solis naturae viribus posse salutem promereri, unde cogebantur etiam fateri orationem non esse necessariam. In tertia dicimus orationem esse actum religionis. Et in quarta assignamus modum.

176. I.^a Pars. Est de fide et prob. 1.^o Ex verbis Christi Domini (4): *Oportet semper orare et non deficere*. Sed quod ita presse commendatur in Scriptura nequit non esse convenientissimum. Ergo. Non succumbere tentationibus convenientissimum est; sed Christus Dominus praecepit discipulis suis (5): *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem*. Ergo... Imitari Christum Dominum, qui frequentissime oravit, *tertio eundem sermonem dicens* (6) in nocte passionis, in ipsa ara crucis cum spiritum suum Patri commendabat; quem sequuti sunt utriusque testamenti viri sancti; cujus sponsa Ecclesia continuo orat, nequit non esse convenientissimum et sanctissimum. Ergo oratio, etc.

2.^o Patrum testis sit S. Joannes Chrysostomus (7): «Considera quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, quod velis, quod desideras, postulare.»

3.^o Ratione: a) Convenientissimum est, hominem promovere gloriam et cultum Dei, eum recognoscere tamquam auctorem gratiae et omnis boni. Sed hoc fit cum oratione desideria nostra Deo proponimus. Ergo... b) Accedere ad Deum, colloqui cum ipso maxima est utilitas et summa dignitas animarum. Sed omnia haec habentur per orationem. Ergo...

177. II.^a Pars quae est de Fide, Prob. 1.^o ex Matthaeo (8) *Petite et accipietis*. Ex Luca ut in prima parte. Cum S. Paulo (9) ad Thessalonicenses *Sine intermissione orate* et ad

(1) Ex D. Thoma 2, 2, Q. 83, a. 2.—(2) VI, 32.—(3) Theodor. Hist. L. 4, 10; Damascen. L. de 100 haeres.—(4) Luc. XVIII, 1.—(5) Matth. XXVI, 41.—(6) Ibid. 44.—(7) Homil. 30 in Genes.—(8) VII, 7.—(9) I.^a V, 17.

Colossenses (1) *Oratione instate, vigilantes in ea* et alibi saepe. Sed non tam crebro et serio Scriptura hoc ingeminaret, nisi res esset apprime necessaria: non enim ita loqui solet de consiliis.

2.^o S. Augustinus (2): «Deus impossibilia non jubet, sed »jubendo admonet, et facere quod possis et petere quod non possis;» quam sententiam amplectitur Concil. Tridentinum (3) ad significandum petitionem auxilii tam necessariam esse, quam necessarium est servare mandata.

3.^o Ratione. Operatur Deus per causas secundas quod commode per eas fieri potest, et servata proportione, in operatione virtutis vult cooperationem nostram. Sed possumus saltem orando cooperari ad nostram salutem, postquam per gratiam praeventi sumus. Ergo hanc cooperationem merito a nobis exigit Deus. *Min. prob.* Quia oratio se habet ut causalitas causae secundae ad nostram salutem. Ergo... *Confr.* In adultis ad consequendam gloriam est necessarium meritum, et ad consequendam gratiam sanctificantem est aliqua dispositio necessaria. Ergo a pari ad obtinenda divina auxilia opportuna, erit necessaria oratio.

178. III.^a Pars. cum Angelico (4) prob. 1.^o «Dicitur in Psalmo (5): *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*: ubi dicit Glossa quod «in hujus figuram in veteri lege incensum dicebatur offerri in odorem suavem Domino.» Sed hoc pertinet ad religionem. Ergo oratio est religionis actus.»

2.^o «Ad religionem proprie pertinet reverentiam et honorem Deo »exhibere; et ideo omnia illa per quae Deo reverentia exhibetur, »pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subicit, et profitetur »orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus.»

179. IV.^a Pars. Prob. Elicitive quoad affectum petendi, prob. Proprium motivum affectus orandi Deum, debet esse motivum eum colendi nempe recognoscendo et quasi protestando petitione ipsa, nostram subjectionem ad Deum, et nostram indigentiam et dependentiam ab ipso, et e converso potentiam ejus bonitatem et providentiam erga nos. Sed illud motivum est Religionis. Ergo... *Maj. prob.* Quia non oramus Deum ut vel ei manifestemus aliquid quod antea non noverat, neque ut novam aliquam voluntatem habeat propter nostram orationem, quam ab aeterno habuerit, sed quia ad consequendum quod postulamus, intelligimus in oratione ipsa esse aliquid, vi cujus exigitur a nobis, ut

(1) IV, 2.—(2) De nat. et grat. c. 43.—(3) Sess. 6, cap. 11.—(4) 2, 2, Q. 83, a. 3.—(5) CXL, 2.

optimum medium ad finem nostrum obtinendum. Sed hoc nullum aliud est, nisi quod oratio sit cultus et subjectio ad Deum et ita per illam disponimur ad impetrandum a Deo quod cupimus. Ergo.

Est imperative proxime quoad petitionem. Quia est actus externus immediate a voluntate petendi imperatus (1).

180. Obj. 1.^o Oratione flectitur animus ejus, qui oratur, ut faciat, quod ab eo petitur. Sed animus Dei est immutabilis et inflexibilis. Ergo non est conveniens oratio.

Resp. Dist. *Maj.* Per orationem ad creaturam; conc. per orationem ad Deum subdist. ex ipsa sua praeordinatione, conc. Independentem ab hac; neg. «Oportet enim, ait S. Thomas (2) sic »inducere orationis utilitatem ut neque rebus humanis divinae »providentiae subjectis necessitatem imponamus, neque etiam divinam dispositionem mutabilem aestimemus. Ad hujus ergo evidentiam considerandum est quod ex divina providentia, non »solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis et »quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorundam causae actus humani. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed »ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a »Deo dispositum. Sic, non propter hoc oramus, ut dispositionem »divinam immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit »per orationes esse implendum.» An Deus ex praevisa oratione intenderit aliquem effectum, vel e contra, an ex intentione effectus disposuerit orationem, debet resolvi proportionate ad similes quaestiones de praedestinatione et gratiae auxiliis. P. Suarius inclinatur in secundam partem. Ad *Min.* Dist. Consequenter ad decretum, conc. Antecedenter quoad actum liberum subdist. Entitative; conc. Virtualiter; neg.

Obj. 2.^o Non est revelatum Deum vel decrevisse non dare auxilia necessaria nisi per orationem, vel orandi dedisse praeceptum. Ergo oratio non est necessaria ad salutem. *Antec.* prob. quia omnia testimonia Scripturae in rigore possunt interpretari de utilitate. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Ad probat. nego assertum, absolute enim dixit Dominus, *Petite et accipietis.* Aliunde cum ex se convenientissimum esset Deum non dare auxilia necessaria post primam gratiae praeventionem nisi per orationem, est in ipso ordine supernaturali quasi naturale et necessarium orare. Hinc Christus Dominus, juxta Suarium non dedit praeceptum divinum positivum orationis

(1) Vid. fin. resp. ad obj. 5, thes. praec.; Suar. De orat. L. 1, c. 7, nn.—
(2) 2, 2, Q. 83, a. 2.

sed divina auctoritate confirmavit obligationem orandi quam habebamus. Absoluta tamen et tanta orandi necessitas sine decreto divino non potuisset introduci; potuisset enim Deus aliter necessitati nostrae subvenire ut nonnumquam liberalissimus Dominus etiam in praesenti ordine facit, et notat D. Thomas (1): «Deus nobis »multa praestat ex sua liberalitate, etiam non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem; ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad »Deum et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem.»

Obj. 3.^o Oratio ut statim dicemus est actus intellectus. Sed religio ut virtus moralis est virtus voluntatis. Ergo oratio nequit esse actus religionis.

Resp. Dist. *Maj.* Est actus intellectus quoad ipsam petitionem; conc. Quoad affectum et imperium petendi; neg. *Min.* etiam dist. Religio est virtus voluntatis, quae tamen ex proprio religionis motivo potest immediate et proxime imperare intellectui petitionem; conc. Quae non possit vel indigeat media alia virtute; neg... *Conseq.* pariter dist. Ergo oratio nequit esse actus religionis elicitus; conc. Proxime imperatus; neg. Vide quartam theseos partem.

Obj. 4.^o Religionis est divinae naturae cultum caeremoniamque afferre. Sed oratio magis curat aliquid obtinere a Deo, quam ei cultum deferre. Ergo oratio non est actus religionis.

Resp. Neg. *min.* Ipsa oratio est cultus et quidem excellens, nam ut D. Thomas loquitur (2): «Orando tradit homo mentem suam »Deo, quam ei per reverentiam subjicit, et quodammodo praesentat... Et ideo sicut mens humana praeminet exterioribus vel corporalibus membris, vel exterioribus rebus, quae ad Dei servitium »applicantur, ita etiam oratio praeminet aliis actibus religionis.»

SCHOLIA.

181. I. Oratio proprie est actus intellectus.

Prob. 1.^o Ex Sacra Scriptura (3) *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur,* ubi dicitur orationem esse loquutionem cordis, quam necessario non subsequitur loquutio vocalis.

2.^o Ex S. Isidoro (4): «Orare idem est ac dicere.» Sed dictio pertinet ad intellectum. Ergo...

3.^o Ratione. In oratione, post desiderium obtinendi aliquam rem, interveniunt voluntas petendi, et repraesentatio desiderii ad Deum, quae fit per actum intellectus. Sed in hoc ultimo consistit

(1) 2, 2, Q. 83, a. 2 ad 3.—(2) 2, 2, Q. 83, a. 3 ad 3.—(3) I Reg. I, 13.—
(4) L. X *Etymol.*

proprie petitio seu oratio. Ergo... *Maj.* constat, quia nemo vere et ex corde petit nisi quod ante desideravit, nam rei desiderium sequitur voluntas petendi rem, saltem tamquam ex intentione efficaci alicujus finis, si aliud medium non datur obtinendi rem; si enim res posset obtineri per imperium non esset necessarium petere, esset tamen possibile. Sed voluntas petendi rem fit per repraesentationem desiderii media loquutione sive mentali sive vocali, quae est actus intellectus, ut objectum volitum voluntati extrinsecum ab ea imperatum. Ergo... *Min.* prob. Quia nonnisi in hoc ultimo actu habetur petitio in qua consistit oratio. Ergo (1).

Haec intellige de oratione communi et vulgari, nam si aliquis a Deo ita elevaretur, ut quasi Angelus sine vocum conceptibus cum Deo colloqueretur, tunc oratio esset actus voluntatis (2).

182. II. Oratio non tantum necessitate praecepti, sed probabilius etiam medii est necessaria.

Prima pars in thesi est probata, secunda propugnatur cum Suario (3). Lessio et plurimis contra Sylvium, Ledesma, Villalobos et alios. Ratio est, quia est necessaria ad gratiam auxiliatricem et ad perseverantiam obtinendam, quae sunt de necessitate medii. Sic in libro de *Ecclesiasticis dogmatibus* (4) dicitur: «Nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante operari; nullum nisi orantem auxilium promereri...» Augustinus (5): «Deum alia dare non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam.»

183. III. Oratio est ex promissione divina infallibilis si quis: a) pro se; b) necessaria ad salutem; c) pie, cum fide et fiducia; d) perseveranter petat; e) quod si eadem pro aliis roget erit saltem congruens.

Quod sit infallibilis nonnisi ex promissione divina patet; nam quamvis oratio sit sufficiens ad impetrandum, non tamen infallibilis, cum necessitatem minime imponat; adesse vero hanc promissionem ex verbis sacrae Scripturae nn. 166, 167 allatis potest colligi, ut facit post Augustinum et Chrysostomum D. Thomas (6). «Efficaciam autem impetrandi habet (oratio) ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit.» Unde Augustinus dicit in libro de «Verbis Domini» (7): «Non nos hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet;» et Chrysostomus dicit sup. cap. XVIII, Luc., in princ.: «Nunquam oranti bene-

(1) Suar. De orat. L. 1, c. 3, nn. 7-13. — (2) Vide Suar. loc. cit. Lib. 1, c. 4; et de Institut. Societ. Lib. IX, c. 5, n. 5, ubi explicat quo sensu interpretanda verba Sti. Parentis Nostri Ignatii in annotatione tertia exercitiorum cum dicit: «Dum voce aut mente cum Domino Deo vel sanctis colloquimur, nos praecipue exercere operationem voluntatis nempe ut voluntas est potentia motrix quae praecipuas partes sibi vindicat, cum loquutio in oratione sit ex affectu et propter affectum.» — (3) De orat. L. 1, c. 28, n. 3. — (4) L. 56. — (5) De *don. persever.* L. 2, c. 16. — (6) 2, 2, Q. 83, a. 15 in *θ.* — (7) Serm. CV, c. 1.

»ficia denegat, qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat.» Esse promissionem conditionatam, nempe tunc obtineri quod petitur si cum debitis conditionibus fiat oratio, experientia testatur cum multa petamus quin obtineamus; et docet Jacobus apostolus (1): *Petitis, et non accipitis: eo quod male petatis.*

Quod requirantur conditiones in enuntiatione recensitae ut oratio sit pro se orante infallibilis, et saltem congruens si pro aliis oratur, docet et probat Angelicus (2) respondens ad objectionem: «si oratio aliquid meretur, maxime videtur mereri illud quod orando petitur.» quod tamen non semper obtinetur.

Respondet, «ad secundum dicendum, quod ad aliud principaliter respicit meritum orationis quandoque quam ad id quod petitur. Meritum enim praecipue ordinatur ad beatitudinem, sed petitio orationis directe se extendit quandoque ad aliqua alia, ut ex dictis patet. Si ergo illud aliud quod petit aliquis pro seipso, non sit ei ad beatitudinem utile, non meretur illud; sed quandoque hoc petendo et desiderando, meritum amittit: puta si petat a Deo completum alicujus peccati, quod est non pie orare. Quandoque vero non est necessarium ad salutem, nec manifeste saluti contrarium; et tunc licet orans possit orando mereri vitam aeternam, non tamen meretur illud obtinere quod petit. Unde Augustinus dicit in lib. «Sentent. Prosp.» (3): «Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitae, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam aegrotus.» Et propter hoc etiam Paulus non fuit exauditus petens amoveri stimulum carnis, quia non expediebat. Si vero id quod petitur, sit utile ad beatitudinem hominis quasi petens ad ejus salutem, meretur illud non solum orando, sed etiam alia bona opera faciendo; et ideo indubitanter accipit quod petit, sed quando debet accipere: «Quaedam enim non negantur sed ut congruo dentur tempore, differuntur,» ut Augustinus dicit super Joann. (4): Quod tamen potest impediri, si in petendo non perseverent. Et propter hoc dicit Basilius in lib. *Constit. monast.* (5): «Ideo quandoque petis et non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non confidentia tibi, vel destitisti.» Quia vero homo non potest alii mereri vitam aeternam ex condigno, ut supra dictum est, ideo per consequens nec ea quae ad vitam aeternam pertinent, potest aliquando aliquis ex condigno alteri mereri. Et propter hoc non semper ille auditur qui pro alio orat ut supra habitum est. Et ideo ponuntur quatuor conditiones quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit: ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie, et perseveranter.»

Quod ut pie fiat, debeat esse oratio cum fide et fiducia constat, nam fide credere debemus Deo promittenti, et fiducia seu spe in fide promissionis fundata firmiter Deo confidere qui certo quod promissit praestabit, si nos non desumus. Ita deducitur ex plurimis locis

(1) Epist. can. IV, 3. — (2) 2, 2, Q. 83, a. 15 ad 2. — (3) Sent. CXXII. — (4) Tract. CII, § 1. — (5) Cap. I, vers. fin.